

SUPPLEMENTUM AD HILDEBERTI DIPLOMATA.

(Post col. 324.)

Auctoramentum Hildeberti Cenomanensis episcopi de donatione ecclesie S. Mariæ de Meduana (Mayenne), anno 1125 Majoris Monasterii monachis a Joanne Meduanensi presbytero facta.

(*Histoires des seigneurs de Mayenne*, par J. B. GUYARD DE LA FOSSE, prêtre. — Au Mans, 1850, in-12. Preuves, p. x. — Titres de Gehard.)

Notum est omnibus presentibus et futuris quod Joannes presbyter quidam Meduanensis Dei et Sancti Martini compunctus amore, Majoris Monasterium cum Gualterio tunc priore Meduanæ expetiit, ibique in presentia domini Guillelmi abbatis ac totius capituli, donum ecclesie Sancte Mariæ de Meduana, quod Robertus Pavo ejusdem ecclesie Dominus monachis Sancti Martini longe ante fecerat, sic si cartula inde facta testatur, libentissime concessit promittens illud donum contra omnes adversarios pro posse suo, Sancto Martino diratiocinare, defendere, acquietare, presbyteratum quoque ejusdem ecclesie quod a Roberto Pavone eatenus habuerat a Domino abbate Sancti Martini deinceps habendum atque tenendum recipit, salva omnino fidelitate atque convenientia Roberti Pavonis, quæ convenientia talis est : Quamdiu Robertus Pavo prefatam ecclesiam in manu tenuerit propria, ejusdem ecclesie redditus æqualiter inter se dividant Robertus et Joannes ; cum vero Robertus vel monachus fuerit vel obierit, et ecclesia illa in manus monachorum devenierit, tunc Joannes sese ad presbyterii tantum partem restringet hoc modo, videlicet ut monachi duas decimæ ac primitiarum partes recipiant, Joannes tertiam ; nam reliquo omni tempore totam offerturam sicut et cæteris presbyteris moris est, Joannes accipiet : porro dominus abbas concessit eidem Joanni quod si haberet filium vel nepotem clericum qui post mortem patri presbyteratus fungeretur officio, ille per consilium episcopi vel pro

A amore Joannis, prædictam ecclesiam cum terris et domibus, sive cæteris edificiis ad eam pertinentibus de monachis in vita tenebit ; si vero ille propinquus ejus non clericus sed laicus fuerit, terram tantum de Brionis, quæ est de jure ecclesie habebit, reliqua autem omnia, id est ecclesia cum appenditiis suis, monachorum erunt, de his hactenus. Item de cæmeterio capelle Meduanensis inde aliqua controversia inter monachos Sancti Martini et præfatum Joannem extitit ad hunc finem pacis et concordie ventum est. Joannes enim recognoscens injustam se monachos fecisse calumniam de prædicto cæmeterio, benevole concessit ut tota familia domini Meduanensis, de pane et victu ipsius tam milites quam servientes, qui tamen ipsi residentes in parochia Sancte Mariæ ; ita quod habeant ibi focum et locum, hi, inquam, omnes absque ulla contradictione a capellano monachorum omnem rectitudinem suam confessionis et communionis viventes recipiant, mortui autem ad cæmeterium capelle sepelendi deferentur ; sed et alii quicumque homines de omnibus quæ circa sunt parochiis, extra parochiam Sancte Mariæ matris ecclesie, ad cæmeterium capelle facient se deferri et absque omni calumnia sepeliri. Si quis vero de parochiis Sancte Mariæ ad prædictum cæmeterium veniet, et sepeliri se ibidem ronaverit, salva rectitudine matris ecclesie, nullo contradicente votum suum sibi adimpleri licebit.

Ego Hildebertus Cenomanorum episcopus concessi et signavi.